



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Arnulphus Ep. 16. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

16. Aug. VITÆ SANCTORUM. 507

*Præcessit nos Regina nostra, præcessit,
& tam gloriosè suscepta est, ut fiducialiter
sequantur Dominam servuli clamantes,
Trahe nos post te; in odorem unguento-
rum tuorum curremus. S. Bern. serm. 1.
de. Ass. B. M. V.*

S. ARNULPHUS EP. 16. Augusti.

Sæpè matres & viva filiorum funera
malè rident & malè lugent mortua; id
quod ARNULPHI etiam pater primò
factitabat, dum quem primum enixa est
filium, spem unicam familiæ, sed mor-
te intempestivâ sublatum non posse de-
flectere satis sibi videbatur. Sed monuit
bonus Genius æquo animo ferret,
quod non posset non ferre; qui ma-
ximè oculis arriderent flores, hos pri-
mos carpi. Non invideret filio Cæli con-
tubernium, in omnia vitia, si porrò
ivisset, atque ad eò latronum societatem
abripiendo. Potiùs nascituri alterius fi-
lii spe animum erigeret, qui vitæ sanctio-
ris famâ orbem esset impleturus. Atque
hic ARNULPHUS noster fuit, aulam
primò & militiam, tum monasticen se-
cutus, eo semper vitæ tenore, ut dubium
pænè fecerit, sanctiõrne miles an mona-
chus fuerit. Ex hoc Abbas, ex Abbate
Pontifex Sueffone ita gessit, ut extre-
mum ægro ter concussum cubiculum
ter spectaculum objecerit jucundissimum
mo-

508 VITÆ SANCTORUM. 16. Aug.
morituro. Nam primò videre Apostolorum
Principem habuit, qui nozarum ve-
niam largissimam nunciabat: mox cæle-
stium agminum Primipilum, qui com-
meatum in cælum promittebat; demum
ipsam cæli Reginam, quæ festo sibi, quo
cælo recepta fuit, die, recipiendum cælo
etiam ipsum indicavit. Tanti, ô Superi!
tanti ægrotare etiam mihi foret! *Ex*
Survio.

*Pretiosa mors Sanctorum, pretiosa pla-
nè, tanquam finis laborum, tanquam vi-
ctoria consummatio, tanquam vitæ janua
& perfectæ securitatis ingressus. S. Bern.
in epist.*

S. ROCHUS CONF. 16. Augusti.

N Ascitur Rochus loco per illustri in
Galliâ, portentosâ Cruce à matre
rubens: ætatis anno duodecimo amissis
parentibus etiam opes in pauperes abji-
cit; ipse ditione suâ patruo commissâ,
Italiam Religionis causâ petit. Hic
dum laborantibus peste servitium suum
addicit, magnâ omnium admiratione
quàm plurimos sanitati Crucis signo
restituit. Secundum hæc divinitus edo-
ctus, quibus malis porrò exercendus es-
set, acutâ primùm feбри tentatur, mox
sagittâ coxam trajicitur. Sanus boni
Angeli ope, dum in patriam repedit,
iterum æger ex itinere sub arbore decum-
bit,